PRO SANCTORUM INNOCENTIUM
PANEGYRICO.
MONITUM.

DUbitandi locus eſt an hoc argumentum inter Panegyricas Orationes ſit collocandum; horum enim Sanctorum Innocentium martyrium, licet ab Eccleſia recognitum ex eorum parte libertate caruit; ideoque merito vacuum fuit, quod veri Elogii eſſe debet fundamentum. Verum quin illis immoremur rationibus, quas nonnulli opponunt, ut his pueris gloriam martyrii præripiant, colligere adnitemur quidquid Patres, & Catholici Auctores nobis hac de re ſcriptum reliquerunt; videlicet de Herodis ſævitia, deque conſiliis, propter quæ ſupremus vitæ mortalium Dominus horribilem cædem illam permiſit, ſeu ut hoc pacto publicaret, & cognoſcendam traderet nativitatem Salvatoris hominum, ſeu ut jaceret prima Eccleſiæ ſuæ fundamenta, quæ nonniſi per ipſas perſecutiones erat augenda; ſeu tandem pro eorumdem infantium felicitate, qui non aliam majorem ſperare poterant, quam pro Salvatore ſuo moriendi, ejuſque vitam per mortem illorum ſervandi. Quamobrem S. Auguſtinus, aliique Patres nonnulli vocant eos primas victimas Filio Dei naſcenti oblatas, cujus nativitatis nuntium in omnem terrarum orbem pertulere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

I. IN creduli Innocentium cæde triplex perſonarum genus conſiderandum eſt. 1. Herodes, qui illam jubet: 2. Pueri furori illius immolati. 3. Jeſus Chriſtus, pro quo omnes mortem ſubeunt. In Herodis autem perſona conſiderare poſſumus.

1. Mala, quæ parit ambitio, & funeſtos exitus inordinatæ cupiditatis. Quam cæcus in conſiliis ſuis eſt barbarus iſte! Quam violentus imperiis! Quorſum tantum ſanguinis innocui funditur? Cur tanta hæc cædes? Hæc omnia ad explendam illius cupiditatem ob inanem timorem, ob umbram, quæ illum implet terrore, ſimul, & rabie. Quam ſæpe hoc malum accidit nobis, & quam crebro ob inanes, inutileſque metus ſpiritus noſter furit, & rationis fit impos! Cupiditas explenda eſt, ejuſque impotentiæ cedant omnia. Miſera cupiditas, tu animarum noſtrarum tyrannus es, & J. C. perſecutor.

2. In martyrio horum infantium ſuavem Dei Providentiam poſſumus conſiderare illos neſcientes, deducentem via breviſſima ad extremam ipſorum felicitatem. Præſentem dumtaxat vitam cogitanti hoc ſpectaculum miſeratione dignum videretur; inſpicere tot mœſtiſſimas matres, audire tot innocentium victimarum gemitus, videre oppidum totum in eorum Sanguine innatare. Verum ſi conſideretur pro mortali vita, quæ fortaſſe futura illis fuiſſet damnationis cauſſa, ſi diutior extitiſſet, illos in immortalitatis poſſeſſionem ingredi, ſi cogitaretur, præcipiti hac morte ablatam ipſis fuiſſe infeliciſſimam Deum lædendi potentiam, ipſoſque Deo conſecratos fuiſſe tanquam florem, & primitias Martyrum, atque per hoc beneficium, eos Agnum ſequi in omnem æternitatem, qua beatitudine non fruuntur! Quam amabilis eſt hæc adorabilis providentiæ diſpoſitio! O beatiſſimi infantes! omnia præſentis hujus vitæ bona non æque optabilia ſunt, ac veſtrum martyrium, quod vos infinitæ æternæque gloriæ poſſeſſione conſtituit.

3. Ubi cogitamus Salvatorem, pro quo tot innocentes pueri adeo crudelem mortem paſſi ſunt, quodnam ſtuporis argumentum eſt videre, illum vix in mundum hunc veniſſe, cum ſtatim ad necem conquiritur: & ipſi nihilominus volumus mundum, qui Dei eſt inimicus, nobis favere, noſtrumque amicum eſſe, nihilque tantum veremur, quantum ne illi diſpliceamus; ſequimur rebus in omnibus mores illius, & ubique benigne excipi volumus. Quænam infirmitas hæc noſtra eſt? Alterutrum tamen eligendum eſt, vel cum J. C. Mundi perſecutionem pati, vel cum mundo perſequi Jeſum Chriſtum.

II. Sancti Patres videntur non ita facile comprehendere Dei naſcentis providentiam, qui promiſſa adimplens, agit ut ita dicam contra eamdem promiſſionem ſuam, vel ſaltem occaſionem tribuit dubitandi de oraculorum ſuorum veritate. Etenim quomodonam, inquiunt, qui pacem nuntiat hominibus bonæ voluntatis, & qui eligit etiam tempus quo terrarum orbis altiſſima pace fruitur, ut in terris naſcatur, incipit inferendo bellum adeo cruentum, ut ne teneræ quidem & innocuæ ætati parcatur? Cur qui venit vitam daturus mundo, permittit ut tot eripiatur parvulis, quia ideo moriuntur, quia uni illi mortem inferre quæritur? Verbo, cur triſtitia cum gaudio, lacrimæ, & gemitus cum lætitiæ plauſibus, nec non ſanguis & cædes cum æternæ pacis nuntio tandiu expectato, permiſcentur: *Nato Domino, evangelizatur gaudium magnum univerſo mundo; & tamen lacrimas video, ploratus audio*, S. Bernardus ait. Quid tanta hæc rerum varietas ſignificat? & quomodo conciliari poſſunt promiſſa cum effectibus Dei hujus naſcentis, qui venit gaudium, pacem, vitamque toti Mundo allaturus? Ut vobis hoc myſterium evolvam, non immorabor eas ſcrutando cauſſas, propter quas hominum Salvator permiſit, ut ſuæ nativitatis lætitia ſpectaculo adeo horribili turbaretur. Dicam ſolum, illum unum conquiſitum fuiſſe, cumque ab aliis parvulis dignoſci minime poſſet, id adhibitum fuiſſe conſilium, ut involveretur in cæde communi omnium, qui præter propter ſub idem tempus nati erant; cumque tandem veniſſet ad homines ſalvos faciendos per effuſionem ſanguinis ſui; ſtatim ac in terris viſus eſt, non defuiſſe illi perſecutorem, ut intelligerent, quemadmodum ipſe illis æternam procuravit felicitatem, ita illos nunquam fore beatiores, quam cum propter amorem illius crudeliſſimas perſecutiones ſuſtinuerint. Itaque cum per inhumanam Sanctorum Innocentium cædem prima inceperit contra Jeſum Chriſtum perſecutio, vobis oſtendam:

1. Principium felicitati horum Infantium fuiſſe, primos pro Salvatore ſuo mortem paſſos fuiſſe, antequam illum cognoſcere poſſent.

2. Quam gloriam Innocentes iſti cæſi huic attulerint homini Deo per martyrium præcox, ac generis prorſus particularis, quod in illa occaſione paſſi ſunt. Hæc erit orationis partitio, ubi fert animus aliqua conſolatione bonos afficere, qui ab impiis perſecutionem patiuntur duabus hiſce validis conſiderationibus; prior quorum erit, teſtimonii, quod per hoc dedit illis Deus ſuæ caritatis; altera vero gloriæ, quam Deo reddunt ſæviſſimas perſecutiones pro eadem, & propter juſtitiam ſuſtinentes.

III. Fieri non poteſt, quod innocentia a Martyrio ſejuncta ſit; cum enim nihil coinquinatum ingrediatur in Regnum Cælorum, oportet vel tanquam Sanctos Innocentes ſuo ſanguine, vel tanquam pœnitentes baptizari lacrimis quæ reparant innocentiam. In Sanctis ergo hujus diei Innocentibus videamus.

1. Innocentiam cum Martyrio conjunctam.

2. Innocentiam non niſi per Martyrium poſſe reparari.

IV. Hodie conſiderari poteſt: Ex Jeſu Chriſti incunabulis tres prodire gratias tanquam ex uberrimo fonte.

1. Jeſus Chriſtus poteſt ex SS. Innocentibus facere Martyres ſine voluntate, ſine libertate, & ſine meritis.

2. Facere triumphatores ſine prælio, & ſine reſiſtentia.

3. Facere teſtes ſine voce, & ſine verbis.

V. Deus hominum conſilia ſubvertit efficiens, ut ſuis inſerviant conſiliis.

1. Herodes ſævitia ſua ſalvat quotquot enecat.

2. Ille, quem ad necem requirit, elabitur, omnes illius præcautiones eludens: quia Deus ſuas exequitur voluntates cum imperio: in quo vis ſimul, & ſuavitas mixtæ ſunt, & quam nullam unquam vis poteſt prohibere.

VI. Cum Sanctorum Innocentium cædes non ſine Dei permiſſione contigerit, qui eorum quæ permittit, æquiſſimas ſemper habet rationes; has habuiſſe videtur ea die, qua horum Infantium Martyrium permiſit.

1. Ut orbi univerſo Filii ſui nativitas manifeſtaretur, quæ cognita fuit, cum auditum eſt immanem hanc crudelitatem ea in occaſione accidiſſe.

2. Pro horum Sanctorum Puerorum bono, qui Jeſu Chriſto morientes adierunt plenam vitæ immortalis poſſeſſionem antequam vitæ præſentis ærumnas fuerint experti; & qui ſanguinis ſui effuſione, quem ore non poterant, Jeſum Chriſtum laudaverunt.

3. Pro Eccleſiæ Catholicæ gloria, quæ in turba ferme infinita Martyrum, qui eidem ornamento ſunt, habet etiam multitudinem Puerorum, qui de Satana victoriam reportarunt antequam manus ſatis fortes haberent ad pugnandum.

VII. Sermo ipſe in duplicem dividi poteſt partem, prima quarum beatitudinem oſtendat, quam Deus Sanctis Innocentibus procuravit, permittens, ut per Herodis crudelitatem de medio tollerentur; altera vero ob oculos ponat gloriam, quam iidem Innocentes Deo per mortem ſuam reddiderunt.

Pars prima. 1. Erepti fuerunt ex vitæ hujus ærumnis, & potiſſimum ex periculo pereundi in mundo, ubi procul dubio in diſcrimen adducta fuiſſet æterna ſalus illorum. 2. Illis Martyrii gloriam Deus procuravit, quæ maximum bonum eſt, favorque locupletiſſimus, quem illis facere potuiſſet, ſi vixiſſent diutius. 3. Dedit illis immortalem vitam pro fluxa, quam fortaſſe procul a Dei gratia traduxiſſent.

Pars

Pars altera, Gloria, quam illi morte ſua Deo reddiderunt; 1. Primæ fuerunt Victimæ in Dei naſcentis honorem immolatæ. 2. Teſtimonium perhibuerunt Majeſtati Dei per Martyrium, quod ſuſtinuerunt. 3. Fuerunt præcones Filii Dei, quia illius nativitatem promulgaverunt &c.

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum texturas inſtruendas, & Auctores, qui de hoc tractant Argumento.

SS. Patres & alii Sancti viri.

SAnctus Auguſtinus in primo Sermone, quem habet de hoc argumento, diſertiſſime deſcribit triſte hoc ſpectaculum cædis Innocentium.

Idem in Sermone ſecundo verba facit de Herodis ſævitia, & fuſius loquitur de his Sanctis Innocentibus, eorumque felicitate, quod pro J. C. interfecti fuerunt.

Idem in tertio loquitur etiam de beata ſorte horum Puerorum, quos Martyres, & flores Martyrum vocat.

Idem in ea Apocalypſeos verba, *Vidi ſub Altare animas &c.* proponit, ac ſolvit multas quæſtiones, & plures habet alluſiones ad ſtatum Innocentium.

S. Irenæus, S. Juſtinus Martyr, S. Cyprianus, & S. Leo in Sermone in Epiphaniam Martyrum nomine Sanctos hoſce Pueros decorant.

S. Baſilius Seleucienſis orationem habet patheticam de horribili cæde Innocentium, triſtibuſque Matrum queſtubus, & ejulatibus.

S. Chryſologus duos habet in id argumentum Sermones, ubi plura præclare loquitur.

S. Chryſoſtomus in ſecundum S. Matthæi caput acriter declamat contra Herodis ſævitiam, & Dei providentiam excuſat propter permiſſam Innocentium puerorum cædem.

S. Gregorius Nyſſenus in Sermone quodam de Nativitate Domini de crudeli ea cæde loquitur.

Idem habet orationem, vel potius tractatum, qui huic feſto applicari poteſt.

Origenes in homilia quadam deſcribit Herodis furorem & ſcelera in hoc facto.

Venerabilis Beda in homilia in hoc argumentum litteraliter, ac myſtice dies hujus explicat Evangelium.

S. Bernardus in SS. Innocentium feſtivitate refert tria Martyrum genera, quæ Salvatoris nativitatem ſubſecuta ſunt, & probat SS. Innocentes vere Martyres extitiſſe.

S. Fulgentius *in Hærolog.* de his Martyribus verba facit.

S. Thoma Sermonem edidit in ea Apocalypſeos verba: *Cantabant Sancti canticum novum.*

S. Laurentius Juſtiniani in Sermone quodam oſtendit, poſſe Deum brevi temporis intervallo ad altiſſimum Sanctitatis apicem attollere animam, ut in SS. Innocentibus fecit.

Albertus Magnus de horum Puerorum felicitate loquitur in hæc Apocalypſeos verba: *Ecce Agnus ſtabat ſupra Montem Sion & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Apocal.* 14.

Guillelmus Pariſienſis duos habet in hanc feſtivitatem Sermones, in quorum primo hortatur ad innocentiam ſartam tectam tuendam; in altera vero oſtendit quid ex his Martyribus diſcere poſſimus.

Dionyſius quoque Carthuſianus duos habuit hujus argumenti Sermones, ubi de variis rebus agit ad illud pertinentibus.

Libri Aſcetici, aliique.

Granatenſis in meditationibus de vita Domini, ubi ſermo eſt de illius fuga in Ægyptum, atque etiam in Chatechiſmo.

P. Suffren in tomo ſecundo Anni Chriſtiani.

P. Haineuve in prima parte meditationum de vita Domini, unam habet de Sanctis Innocentibus.

P. d'Argentan ex Capuccinorum familia collatione nona de Magnalibus Jeſu.

Concionatores Nuperi.

A Ponte parte ſecunda de fidei Myſteriis Meditatione 28.

Molinier tomo 1. Sermonum in dies feſtos Sanctorum.

P. Biroat in tomo primo Sermonum in laudem SS.

P. Senault, in tomo primo Panegyricarum orationum.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in tomo primo de Sanctorum Elogiis.

Qui collectanea hujus argumenti ediderunt.

Lambert in homiliis in anni feſtivitates tomo quinto.

Mathias Faber in tomo Sermonum in anni dies feſtos.

Interpretes, qui ſcripſerunt in Evangelium S. Matthæi; & inter ceteros Sylveira.

PARGRAAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Bibliorum huic argumento.

EX *ore infantium, & lactentium, perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum, & ultorem.* Pſ. 8.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Innocens manibus, & mundo corde. Pſalm. 14.

Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus. Sap. 4.

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, Matth. 5.

Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Roman. 10.

Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno. Apoc. 14.

Sine macula ſunt ante thronum Dei. Ibidem.

Et ſequuntur Agnum quocunque ierit. Ibidem.

Ecce Agnus ſtabat ſuper Montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Ibidem.

Tunc Herodes iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlem, & in omnibus finibus ejus a bimatu, & infra. Matth. 2.

Exempla, & figuræ Biblicæ hujus Argumenti.

Uti ſanguis Innocentiũ, ita ſanguis Abel ultionem petiit, ejuſque vox in Cælum uſque aſcẽdit.

HOrum Innocentium Sanguis clamat, & vox, quam attollit, aſcendit uſque ad thronum Dei, ut juſtitiam ſibi fieri poſtulet adverſus Herodem, qui effudit illum, neque clamare ceſſat, niſi reus det pœnas, & innocens ultionem ſuam viderit. Sanguis Abel coegit Deum, ut ſolio deſcenderet, & mutus Orator interfecti cauſſam tanta peroravit eloquentia, ut a Judice fratricidæ Cain damnationem obtinuerit; *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* (*Geneſ. c.* 4.) David in pœnitentia confitetur nulla re unquam magis conſcientiam ſuam fuiſſe agitatam, quam voce Sanguinis Uriæ, quem adeo injuſte fundi juſſerat. Hæc ſingulas noctes Regem hunc excitabat, eique ſuum exprobrabat ſcelus & in cubili, & in ſolio, nullumque in ditione ſua perfugium inveniens, ubi tuto quieſceret, cogebatur ad Deum confugere, ut ab importuno liberaretur hoſte, cui ſilentium indicere non poterat. *Libera me de Sanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* (*Pſ.* 50.) Ambigi etiam non poteſt, quominus crudelis Herodes poſtquam ſuam ambitionem explevit tam fœda cæde, in ſingula momenta terribilibus interioris hujus teſtis conſcientiæ ſuæ ſtimulis agitaretur, quæ non pacem, neque inducias concedit animabus, quæ ſuis ſe cupiditatibus manciparunt. Vox Sanguinis horum Innocentium aliunde in cælum aſcendit, & eſt confeſſio divinitatis Jeſu, pro quo, & in cujus locum ſanguis ſuus effuſus eſt; quia Deus audit vocem eorum, qui injuſte patiuntur, multoque magis eorum qui propter illius amorem, & pro gloria illius tuenda moriuntur.

Diſcrimen inter Sanctos Martyres, veteris, & novi Teſtamenti.

Veteris Teſtamenti Martyres obligabant J. C. morti; & quia id honoris aſſequebantur, quod illius eſſent figuræ; eum quodammodo cogebant, ut id expleret, quod ipſi verbis ejuſdem promiſerant. Itaque mors illorum huic erat funeſta, & mortis ejuſdem non figura tantum, verum etiam promiſſio. Verum Sancti Innocentes reliquis Martyribus beatiores pro Incarnato Verbo moriuntur; recipiunt ictus, qui in caput ejus ruere debebant, ſe ſe objiciunt impotentiæ Herodis, ut ab hoc illum tueantur, illum corporibus ſuis tegunt, eumque ſalvum faciunt, qui ſalvaturus eſt omnes homines. Etenim, ut S. Cyprianus ait, J. C. locum tenent: *Vice Chriſti, & pro Chriſto detruncantur.* Ipſi ergo verius ſunt Martyres quam alii; quia mors illorum ſervat Domino ſuo vitam. Et perſecutio, atque mors, quam patiuntur, fugæ illius in Ægyptum velificatur.

Mors horũ Innocentiũ adimplevit Jeremiæ Prophetiã.

In cæde Sanctorum Innocentium, quod Jeremias Propheta prædixerat adimpletum eſt: *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & ululatus multus. Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Loquitur Propheta de captivitate Babylonica. Primus horum verborum ſenſus eſt, clamores Bethlehem oppidi e Tribu Juda, plorantis ſuorum filiorum interitum auditos fuiſſe uſque in Rama urbe tribus Beniamin. Utitur autem Propheta nomine Rachel ad indigitandam Bethlehem, quia Rachel uxor, Jacob, & mater Joſeph, & Beniamin prope Bethlehem fuerat tumulata. Deus Prophetas inſpirans, eoſque ſcribere faciens, quod Judaico Populo accidebat, ſemper eo tendebat, ut hominibus revelaret id, quod ad promiſſum ipſis Liberatorem ſpectabat. Itaque Jeremiæ verba in proprio ſenſu intelliguntur de cæde Bethlehemitica, & vere Sanctorum Innocentium interfectione adimpleta ſunt. Rachel, hoc eſt Bethlehem ploravit filios ſuos. Clamores, quos adeo vehemens dolor eliciebat, auditi ſunt uſque in remotiſſimas plagas.

Comparatio Herodis cũ Pharaone.

Pharaonis furor non eſt cum Herodis furore comparandus. Primus ille populi Iſraelitici perſecutor juſſit jugulari filios Hebræorum, ut populum illum imminueret, imminuens numerum filiorum ejus; ſed ſua in illum relabuntur conſilia. In turba illum quoque ſtudet involvere, quem deſtinat Providentia ad populum Iſrael de ſervitute vindicandum in libertatem, & qui Pharaonis Deus futurus eſt: at Dei Sapientia ita diſponit omnia ut hic tyrannus illum protegat, & alat in ædibus ſuis ſub titulo filii adoptivi, illum, a quo tot plagis erat percutiendus. Crudelis Herodes ambitioſum conſilium ſuum extendit non quidem ad Moyſen caput populi Iſrael, ſed ad J. C. cujus Moyſes non niſi figura erat; Eadem cæde involvere ſtudet & Salvatorem Iſrael, & partem illius populi, cujus liberator eſt J. C. Sed Pharaonis, & Herodis conſilia confunduntur per ejus potentiam, qui omnes Regum conatus eludit, obſtantium ne voluntates ſuæ adhibeantur dolis, atque artibus, quæ a Pharaonis, & Herodis fraude non abhorrent.

Exempla aliquot crudelitatum Herodianæ ſimilium.

Abimelech illegitimus Gedeonis filius, qui alios ſeptuaginta legitimos genuerat filios, immoderata actus ambitione occupandi urbis Sichem imperium, omnes ſeptuaginta fratres jugulavit; & adeo inſigni ſævitia ſibi ad Principatum viam aperuit. Si nobis hoc liceret, ex prophanis hiſtoriis educere exempla furentis hujus dominandi cupiditatis ſexcenta afferre

poſſe-

poſſemus, in quibus oculis noſtris uſurpare poſſemus effectus adeo terribiles, ut non afferret nobis admirationem exceſſus furoris, quo hodierna die impius Herodes ſe rapi ſinit. Sylla, qui ex eorum fuit numero, qui primi in Romana Republica affectarunt dominationem, funeſtum eſt rei hujus exemplum, quoniam quatuor legiones integras internecione delevit, tunc etiam poſtquam illis dederat fidem, ſe a cæde, & ſanguine temperaturum. Crudelitates Marii, & Triumviratus Auguſti, Marci Antonii, & Lepidi neminem fugiunt. Sed quin immoremur in his omnibus furoris exceſſibus, quos ſuadet ambitio illis, qui brutali hac dominandi cupiditate flagrant, ſatis eſt ad illam animum advertere Herodis, cujus hodiernum meminit Evangelium; qui per diffidentiam, cui nulla ſuberat cauſſa, iracundiam ſuam exoneravit, non quidem adverſus homines, a quorum vi aliquid ſibi eſſet metuendum, ſed parvulos filios, nondum ab ubere depulſos, quorum imbecillitas illi nullatenus nocere poterat, quod graviſſimum imponit crimen illius ſævitiæ; omnemque illi afferens cauſſam, quam prætexere valeat, palam oſtendit, quo uſque brutalis cæcitatis rabies tyrannum impellere poſſit.

Exempla complurium qui ſimilem perſecutionem ſunt paſſi.

Quovis tempore viſi ſunt impii perſequi juſtos. Nonne Cain odium in Abel innocentem concepit? Eo uſque proceſſit, ut illi vitam eriperet. Eſau nonne palam bellum indixit Jacob, quem præclaræ animi dotes matri ſuaviorem efficiebant? *Quem prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri?* (*Act. 7.*) Quod ſi in lege naturæ, & ſcripta, virtus, ſanctitas, innocentia cruentiſſimis perſecutionibus ſcopus fuerunt: Nunquidem mirum eſſe debet, cum videamus Herodem ſanctos perſequi Innocentes? Nonne oraculum illud uſque in ſæculorum finem adimplebitur, quod videlicet, *qui volunt pie vivere in Jeſu Chriſto perſecutionem patientur.*

Herodes comparatus beſtiæ Apocalypſis terram depopulantis.

Prima beſtia, quæ S. Joanni apparuit in viſione, magnorum perſecutorum erat figura. Fuit illa Herodis etiam imago; quia primus fuit Orientis Eccleſiæ perſecutor; Bethlehem, ac omnes illius fines puerorum cæde cruentavit. Fuit ille primus Tyrannus, qui Martyres fecerit, perſequens eorum Caput, quod perfugium ſibi tenetur inquirere in Ægypto adverſus furorem ipſius, & in SS. Innocentium perſona perſequens membra J. C. Sed quemadmodum beſtiæ ſors fuit terram in tempus, ac tempus depopulari per intervalla a Dei omnipotentia definita: Herodis furor brevi deſæviit, & quamprimum inſigni ſupplicio luit pœnas ſuis ſceleribus debitas; cum interim Sancti Innocentes, qui perſecutionem paſſi ſunt, poſſident regnum nullum unquam finem habiturum.

Victimæ immolatæ cum arca fœderis ingreſſa eſt in Bethlehem figura cædis Innocentiũ.

Cum Arca Fœderis antiqui Teſtamenti in agrum Bethlehemiticum ingreſſa eſt, maximus illi immolatus fuit numerus victimarum. Et cum in mundum hunc ingreſſa eſt Arca Teſtamenti novi, magna ſimiliter victimarum vis immolata fuit. Sed bone Deus! quantum inter utraſque diſcrimen? David magnus ille ſanctuſque Rex primas; Herodes impius crudeliſque tyrannus has immolavit. Primæ illæ erant animantia, hæ rationabiles ſunt creaturæ, Sancti Innocentes, *Grex immaculatorum tener.* (*In hymno Eccleſiæ.*) Illæ ut Deus in honore haberetur, hæ, ut in illum ſæviretur immolatæ ſunt. Primæ illæ conjunctæ fuerunt cum gaudio, & lætitia, pluribuſque muſicis inſtrumentis, hæ autem noviſſimæ triſti ac deplorabili ploratuum & ejulatuum confuſo rumore, quem matres edebant ob jugulatos filios triſtiſſimæ. *Vox in Roma audita eſt, ploratus & ululatus multus.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Quomodo Sancti Innocentes publicaverint J. C. Naſcentis gloriam ſanguinis effuſione.

EX *ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.* Pſ. 8. Dubium non eſt, quominus hæc verba poſſint applicari cædi Innocentium, qui ſuum effundentes ſanguinem Dei Hominis recens nati gloriam prædicarunt: ſed quidam Sancti Patres nimis applicationem hanc amplificarunt, dicentes Deum ſolviſſe linguam lactentium horum parvulorum, ut proferrent verba, quibus & J. C. elogium componeretur, & inimici pudore ſuffunderentur. Verum eſt miraculum hoc fieri potuiſſe in Incarnati Verbi nativitate; verum quemadmodum Scriptura Sancta, & Traditio nihil de hac re locutæ ſunt, nonnihil hyperbolem hæc ſapere mihi videntur; præterquam quod cum Verbum eſſet Infans, decebat, teſtes quoque Infantes eſſe, eoſque ſilentio ſuo colere eum, qui nondum poterat loqui. Si enim S. Gregorius Magnus credidit J. C. Magis fuiſſe manifeſtandum per ſtellam, *ut nedum loquentem elementa muta prædicarent:* (*Homil. in* Evangel.) videtur æquum fuiſſe, ut muti quoque illius martyres eſſent, & nonniſi lacrimarum, ſanguiniſque effuſione confiterentur.

Divina Sapientia inutilem fecit omnem Herodis Prudentiam.

Herodes videns quoniam illuſus eſſet a Magis: occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem a bimatu, & infra. Matth. 2. Contra Domini conſilium nullum eſſe poteſt conſilium. Illud ſubvertit omnia conſilia, & cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt, *Reprobat autem cogitationes principum, quia vanæ ſunt.* (*Pſ. 11.*) Conatur Herodes involvere Judæorum Regem in cæde infantium, & ſicuti illius ignorabat ætatem, jubet eos omnes interfici, qui biennium non exceſſiſſent, ut ille, contra quem ipſum invidia exacuerat, ſibi e manibus elabi non poſſet. Sed omnia tuis ſerviunt conſiliis Domine, ipſa etiam mortalium improbitas; primum enim Herodes non occidit illum, quem perdere quærit, deinde ſalvat omnes eos, quos interficit. Quid non mortalia pectora cogit animi ægritudo aliqua, cum ſceleris abjcitur verecundia, cum fanda, infandaque omnia patrantur, ut aliquid e voto contingat! Herodis conſilium erat hac cæde auferendi Regem Judæorum, qui recens natus fuiſſe nuntiabatur. Ne ille, quem perdere cupiebat, mortem evitaret, jubet occidi non infantes ſolum qui erant in Bethlehem, ſed quotquot in finibus ejus etiam nati reperiebantur; & cum neſciret, quænam eſſet ætas Salvatoris Mundi, & ceterum ſciret nondum abiiſſe biennium, narrat Evangelium, illum imperaſſe, ut a bimatu, & infra pueri omnes interficerentur. Crudelitas ſæviſſima poteſt ne magis ſævire, quam inutiliter tantum effundere ſanguinis tantum puerorum numerum ex vita exturbare, ut ſæpe pareat cupiditati?

Pueri propter J. C. cæſi Meſſiæ adventum prædicarunt.

In ore eorum non eſt inventum mendacium. Apocal. 14. Sanguinis ſui voce atque morte ſua J. C. nomen confeſſi ſunt, atque hoc pacto altius clamarunt quam Abel, quia ſanguis eorum teſtatur Divinitatem ſimul, & humanitatem J. C. teſtatur adventum Meſſiæ, qui deſcenſurus erat a collibus æternis, ut Scriptura loquitur; geſtarunt nomen Agni in frontibus ſuis; cum interim Herodes ferret nomen beſtiæ, atque illius characterem. Modo ſine macula ſunt ante Dominum, cum interim proditor Herodes præceps deturbatus fuerit in ſtagnum ſulphuris & ignis cum mendacibus, homicidis, fornicatoribus, & idololatris.

Innocentes iſti Primi fuerunt inter electos & victimæ, quæ ante reliquas immolatæ fuerunt naſcenti Deo.

Hi empti ſunt ex hominibus, primitiæ Deo, & Agno. Apocal. 4. Empti ſunt ex hominibus, ut offerrentur tanquam primitiæ Deo, & Agno. Deus ſibi conſecrat electos, ut ſibi tanquam primitiæ offerantur. Solvit Deus ſanguinis ſui pretium, ut illos ſibi Deus compararet: *Empti enim eſtis pretio magno; jam non eſtis veſtri.* Conſecrati ſunt, ut victimæ ſint in Ara, ibique Deo offerantur tanquam holocauſta, nonniſi propter illum viventes, atque morientes. Ubinam magis ad litteram inveniri poſſunt hæ veritates expreſſæ, quam in Sanctis Innocentibus? Oblati, conſummatique ſunt; poſtrema felicium harum victimarum aſperſio prima fuit; ſtadium eorum momento conſummatum eſt. Uſus, in quem prima viæ ſuæ momenta converterunt, fuit illam conſecrare, quin ſe ipſos redimerent, quemadmodum primogenita Iſrael redimebantur; *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Se ſe redimerunt, ut ita dicam, nequaquam redimentes ſe, & non ſubſtituentes alienam oblationem in locum ſuum.

Optandum nobis eſt, ut abluamur in ſanguine Salvatoris & ex hoc mundo auferamur antequam innocentiæ jacturam faciamus.

Laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Apoc. 14. Lava nos in ſanguine tuo, o Agne pro hominum ſalute jugulate, quemadmodum eo Sanctos laviſti Innocentes. Aufer nos de hoc mundo, quemadmodum illos abſtuliſti, antequam fœdarentur. Si non poſſumus ut illi, mortem obire, ut vitam tuam tibi ſervemus incolumem, jube nos potius mori quam animæ noſtræ vitam amittamus. Doce nos, Deus canticum hoc, quod Mundus ignorat, & quod ſanctæ illæ animæ in tui honorem concinunt, te quocumque ſequentes. Hoc earum peculiare privilegium eſt, numquam enim coninquinatæ ſunt. Extende hoc privilegium uſque ad nos, nobis gratiam largiens vitam tuæ ſimilem ducendi, ac moriendi pro te.

Ejuſdem argumenti.

Sine macula enim ſunt, Apoc. 14. Qua benedictionum copia beatos hos Pueros non præveniſti Domine, qui nil mali patrarunt, & qui in ipſa morte, quam pro te paſſi ſunt, vitam æternam invenerunt? Omnia pro illis feciſti, Domine, tantumdem fac etiam pro nobis. Fac ut ſub pedibus noſtris Satanas cadat, ut vitam hanc ab omni labe vacuam tranſigamus; fac ut numquam agnoſcamus malum, vel ſi illud cognoſcimus, nobis ſanctum illius horrorem immitte.

Sancti Innocentes Salvatorem ſunt imitati, in ipſo vitæ limine ſeſe offerentes veluti victimas.

Hoſtiam, & oblationem noluiſti: tunc dixi, ecce venio. Ad Hebr. 10. In mundum veniens temet Patri tuo obtuliſti dicens: holocauſta tibi accepta non fuerunt. Venio, Domine, ut me in eorum locum ſubſtituam. Quiſnam propius imitatus eſt te, Domine, præ his parvulis hoſtiis? Illis ingredientibus in vitam Eccleſia pro illis dixit tibi: ecce nos, venimus, ut per eſſentiæ noſtræ deſtructionem obſequium Majeſtati tuæ deferamus; illum a te accepimus, primus uſus, in quem illam adhibere cupimus, eſt omnem illius uſum amittere, ac noſmet coram te annihilare tanquam holocauſta. Apage quælibet externa victima, quæ in locum noſtrum ſubrogari poſſet, ut noſmet redimeremus; hoc eſt, noſmet redimere, pro te animam noſtram amittere: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* (*Matth.* 10.)

Omnia concurrunt ad nuntiandam Domini nativitatem, ſed potiſſimum Sancti Innocentes.

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem &c. Pſ. 8. Omnia concurrunt, Domine, ad Meſſiæ nativitatem manifeſtandam. Illam annuntiant, celebrantque ſuis Canticis Angeli per univerſam Judæam effuſis; Paſtores de illa colloquuntur, euntes ac redeuntes ad colendum Parvulum, qui pro hominum ſalute natus eſt: Magi hoc nuntium afferunt in terras omnes, quo tranſeunt; fiunt omnes Apoſtoli tui. Ipſi etiam Sancti Innocentes fiunt teſtes adventus Filii tui; eorum effuſus cruor vox eſt potens, quæ terræ nuntiat univerſæ, Judæorum Regem natum eſſe. Ita, o Deus, perficis laudes tuas in ore infantium; ex iis, qui loqui nequeunt, tot efficis prædicatores, ubique oraculorum tuorum veritatem nuntiantes, non quidem eloquentibus ſermonibus, ſed ſilentio, quod exauditur adhuc in extremas terrarum plagas. *Deus, cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt.* (*In orat. propr. SS. Martyrum.*)

Fidei confeſſio ab his pueris facta ſanguinem ſuum pro J. C. fundentibus non omnino muta fuit, e contra fuit diſertiſſima.

Deus, cujus præconium Innocentes Martyres &c. Id genus confeſſio non omnino muta eſt, etenim ſecundum Scripturarum ſermonem ſanguis, lacrimæque loquuntur, etenim licet hæ ſine ſtrepitu in genas, quas irrigant, defluant; aures æque, ac oculos afficiunt, & David Deum obteſtabatur, ut non intueretur ſolum, verum etiam ut lacrimas audiret ſuas; *Auribus percipe lacrimas meas.* (*Pſ.* 32.) Ita etiam S. Ambroſius animadvertit, Principem Apoſtolorum, cum Magiſtrum ſuum negaſſet, *maluiſſe cauſſam flere, quam dicere, & quod voce negaverat, lacrimis confiteri:* (*Serm.* 46.) Qua in occaſione exauditæ fuerunt lacrimæ ejus, melius quam verba ipſius audita fuiſſent. Cum vero ſanguis adhuc ſit ſpectabilior quam lacrimæ, vehementius etiam vocem attollit; & vox, quam emittit longe inſigniores parit effectus. Aſcendit uſque ad thronum Dei, petit ultionem repoſci de homicida, a quo effuſus eſt, & clamare non ceſſat, niſi nocens quidem pœnas dederit, & innocens ultionem fuerit aſſecutus. Sanguis Abel Deum coegit ut deſcenderet de ſolio ſuo, & mutus hic Orator mortui cauſſam tanta peroravit eloquentia, ut a Judice damnationem Cain fratricidæ obtinuerit. *Vox ſanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra.* (*Geneſ.* 4.) Cur ergo non credendum erit Innocentes J. C. fuiſſe confeſſos, quandoquidem in martyrio ſuo tantum lacrimarum, & ſanguinis effuderunt? Nonne ſatis locuti ſunt oculis ſuis? nonne ſatis ſenſum ſuum vulneribus manentibus explicuerunt? cruenta hæc ora nonne melius quam verba mentem ipſorum aperuerunt?

Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. 1. Cor. c. 10. Docet S. Paulus, Deum ſapientiam ſapientium perdere, ac prudentium reprobare prudentiam; hoc eſt, Deum oblectari, cum evertit, & ad nihilum redigit eorum conſilia, qui mundanæ ſapientiæ vias ſpectantur. Hoc autem in Herode palam viſum eſt: ſperabat, Magos poſtquam J. C. adoraviſſent, ad ſe eſſe reverſuros. Ut illos ad ſibi inſerviendum alliciat, utitur diſſimulatione; non audet illis ſuas aperire curas, ſenſuſque, quos ſua ſibi ſuadet ſævitia; verum cum ſciret Magos nil vehementius optare, quam ut omnes homines J. C. colerent; ite, dixit illis, diligenter quærite de puero; quem cum inveneritis, me quoque certiorem facite, ut & ego veniens adorem illum. Sed heu carnis prudentiam! ecce confuſa es. Spiritus Sanctus, quem ducem Magi ſequuntur, non ſinet eos tuis decipi inſidiis, efficietque, ut aliam corripiant viam, in regionem ſuam reverſuri. Attamen animum non abjicit Herodes, ejuſque prudentia illi ſuadet conſilium, quod quilibet mortalium, modo ei aliquis reliquus eſſet humanitatis ſenſus, perhorruiſſet; videlicet ad hoc, ut puerum unum, quem extimeſcebat, de medio tolleret, manus ſuas cruore omnium infantium quotquot aderant in oppido, ac finibus Bethlehem fœdandi. Quicumque ſit Herodis furor, ad quemcunque exceſſum ſua illum rapiat invidia, humana prudentia illum agit, vel potius excæcat, confirmatque in ſententia imperium per fas ac nefas uſurpantem ſervandi. Sed heu quam longe illum ſua fefellere conſilia! omnia in illius dedecus cedunt, & confuſionem. J. C. cujus moliebatur interitum, illius fugit ſævitiam, & ex omnibus illis, quos ſuæ immolat ambitioni ille ſolum furorem ejus eludit, qui unus ad necem conquirebatur.

Quomodo Innocentes confeſſi fuerint nomen Domini voce ſanguinis ſui.

Deus cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, inquit Eccleſia in diei hujus Oratione, quæ illis laudi tribuit, quod inter omnes Sanctos Dei laudes publicaverint, & nomen illius confeſſi fuerint non quidem loquendo, ſed moriendo, non lingua, ſed ſanguine ad illius gloriam effuſo; qui vocem edidit non quidem ejulatus, ut ſanguis Abel, ſed confeſſionis; unde inferre poſſumus, fideles omnes teneri, ut fidem ſuam non lingua ſolum confiteantur, verum etiam operibus, & vocis confeſſioni, alteram adjiciant vitæ, cum prima illa ſit inanis, niſi altera fulciatur: Etenim illi, quibus ſatis eſt Deum ore tantum confiteri, & qui oppoſitis actionibus negant illum, præbent infidelibus anſam blaſphemandi nomen ſanctum illius: *Propter vos nomen Dei blaſphematur inter Gentes:* (*Ad Rom.* 3.) quod palam oſtendit, confeſſionem eorum dedecori eſſe Religioni, ac ipſi Deo, qui illius auctor eſt; & tantum abeſſe, ut hæc illorum ſaluti proficiat, ut in eorum cedat damnationem. Dei confeſſio, & offenſa Dei ſimul conciliari non poſſunt juxta illud Prophetæ: *Lingua ſua mentiti ſunt ei: cor autem eorum non erat rectum coram eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.* (*Pſ.* 77.)

Innocentes cum fructu J. C. nativitatem prædicarunt ſanguine ſuo, æque ac Magi verbis.

Nunquid Magi majori cum fructu, vel pluribus in terris Dei nativitatem nuntiarunt, quam SS. Innocentes? Sapientes iſti non loquuntur de ſtella admirabili, niſi Jeroſolymæ, cum ab oculis eorum evanuit. In via non erat cur quærerent de novi hujus Regis ortu, quia hæc illos quocumque comitabatur. Verum eſt illos in regiones ſuas fuiſſe reverſos ubi procul dubio facti ſunt Præcones Pueri, quem adoraverant; ſed martyrium SS. Innocentium vocem attollit ſuam validius, ad J. C. gloriam. Nihil eſt quod facto huic objici poſſit, cum de ipſa ſyderis veritate poſſet diſputari. Cædis hujus factum ita ſævitia ſua mentem percellit, ut ultro omnes illius circumſtantiæ ad examen vocentur, & per hos gradus certa Meſſiæ cognitio adquiratur. Videntur Magi ab eis partibus accedere novum Judæorum regem adoraturi; videtur tumultus tyranni, qui Regum Iſrael dignitatem ſibi uſurpaverat; deprehenditur Oraculum quod ab eo conſultum

J. C. recens natum annuntiat, & Meſſiam tandiu a Judæis expectatum; atque exinde univerſus orbis manu veluti deductus eſt ad cognitionem Meſſiæ, pro cujus amore tantum ſanguinis in Bethlehem, & finibus ejus effuſum eſt.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

M*Artyres veros non facit pœna, ſed cauſa.* S. Auguſtinus Epiſt. 167. ad Feſtum.

Occiduntur pro Chriſto parvuli; pro juſtitia moritur innocentia. Idem ſerm. 2. de Innocentibus.

Deus eſt, qui natus eſt, innocentes debentur illi victimæ, Agni debent immolari, quia Agnus futurus eſt crucifigi. Idem ſerm. 1. de Innoc.

Flores Martyrum, & primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quas in medio infidelitatis frigore exortas perſecutionis pruina decoxit. Idem l. 3. de Simb. ad Catech.

Ecce profanus hoſtis nunquam beatis parvulis prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio, Idem Serm. 3. de Innocent.

Quantum in beatos parvulos iniquitas abundavit, tantum in eis gratia benedictionis refudit. Idem ibidem.

Ante vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quam uſuram præſentis acceperint. Ibidem.

Incipientis vitæ primordiis, ecce ei occaſus initium gloriæ dedit, qui præſentis terminum implevit. Idem ibidem.

Sufficit cauſſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur. S. Cyprianus de Magis & Innocentibus.

Vice Chriſti, & pro Chriſto avulſi pueri, e matrum uberibus detruncantur. Idem ibidem.

Confeſſio exordium Martyrii. Idem de ſimpl. Prælat.

Martyrium ſine ſanguinis effuſione voluntas prompta deputatur. Idem de dupl. Martyrio.

Non minus eſt ſanguis, quam aqua ad lavacrum animæ efficax. Idem ſerm. de Magis, & Innocent.

Lacrimis ſuis matres, & filii ſuo ſanguine baptizantur, S. Chryſologus ſerm. 152.

Quos Deus fecit capere pro concertatione victoriam, quos donavit coronis antequam membris. Idem ibidem.

Vere illi ſunt gratiæ Martyres, confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcii, moriuntur inconſcii, ignari rapiunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Idem ibidem.

Salvete flores Martyrum, quos lucis ipſo in limine ceu turbo naſcentes roſas, Chriſti inſecutor ſuſtulit. Prudent. Poeta in Hymno.

Habemus in Sancto Stephano Martyrii ſimul opus, & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in Beato Joanne, ſolum in Beatis Innocentibus opus. S. Bernardus ſerm. de Innocentibus.

Nato Domino evangelizatur gaudium magnum univerſo mundo, & tamen lacrimas video, ploratus audio. Idem ibidem.

Si quæris Innocentium merita, ut coronarentur, quæro & apud Herodem crimina, ut trucidarentur? an minor Chriſti pietas, quam Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Chriſtus non potuerit propter ſe occiſos coronare? Idem ibid.

Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt. Eccleſia in Orat. de Sanctis Innocentibus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc depromi valeat argumentum.

ILlud primum in hoc argumento ſtatuendum eſt, Sanctos Innocentes vere Martyres eſſe; Tales eos colit Eccleſia; eaque eſt vetuſtiſſimorum Patrum ſententia. S. Irenæus, S. Juſtinus Martyr, S. Cyprianus, S. Auguſtinus, aliique complures hac in re cum Theologis Scholaſticis conſentiunt. S. Thomas tenet, mortem propter Dominum noſtrum, etiam ſine explicita voluntate ſublatam, ut accidit in SS. Innocentium cæde, baptiſmi loco eſſe habendam, *ex opere operato*; (1. 2. *q.* 124. *Art.* 1. *ad* 1.) quam doctrinam videtur hauſiſſe ex libro cui titulus, *De cardinalibus Chriſti operibus*, qui S. Cypriani nomine circumfertur, ubi illis Geneſeos verbis, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, additur, *ſuperfertur & ſanguini.* Hoc eſt, quemadmodum Spiritus Sanctus in ipſis mundi primordiis ſuam effundens virtutem ſuper aquas dedit illis vim producendi, ita initio novi teſtamenti ſuper aquas baptiſmi illam effudiſſe, eiſque contuliſſe virtutem originale peccatum delendi. Quod ſi virtutem hanc tribuit aquis, nullus ſupereſſe dubitandi locus videtur quominus illam etiam Martyrum ſanguini contulerit, & infert: *Quo baptizante idem operatur occiſio, quod merſio*, S. Sancto baptizante ſanguis eamdem habet virtutem, quam aqua Baptiſmi. Hinc Theologi admittunt tria baptiſmatis genera: *Baptiſma fluminis, flaminis, & ſanguinis.* Eorum quidam ulterius procedunt, & dicunt, ſi perſecutionis tempore mater gravida occiditur, & filius ejus cum illa propter fidem ſalvari, & Martyrem eſſe cum illa, cum in ejus ſanguine baptizetur. Huic innixus opinioni S. Thomas aſſerit, ſi quis ſopore captus occiditur ab infidelibus, vel Hæreticis in odium Dei, vel fidei; hunc Martyrem eſſe, dummodo in peccato mortali non ſit, & hæc opinio inniti videtur verbo Domini apud S. Lucam dicentis: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* (*Luc.* 12.) Ubi animadvertendum eſt verbum illud *propter me* duplici in ſenſu intelligi: primum

propter me, ex affectu caritatis in adultis; Secundo *propter me*; mea occaſione, mei odio, in parvulis. Qua in re Patres, & Doctores conſentiunt, & hæc eſt ſententia Eccleſiæ, quæ Sanctos Innocentes tanquam Martyres colit.

Ut vere aliquis Martyr ſit, pro cauſſa Dei mortem ferre debet.

Hæc eſt cauſſa, quæ plus confert, quam pœna, nam quemadmodum S. Auguſtinus ait: *Martyres non facit pæna, ſed cauſſa.* (*Aug. Ep. 167. ad Feſtum.*) Et profecto ſi cruciatus tantummodo expenderentur, in SS. numerum eſſent referendi omnes nocentes, qui mortem perpeſſi ſunt propter ſua ſcelera, ac Martyrum laurea illi omnes donandi, qui in ſuppliciis perferendis aliquam conſtantiæ ſpeciem præſetulerunt. Dæmonibus non defuerunt, qui cauſſam illorum tuerentur, & qui mortui ſunt, ut aſſererent mendacium, quod in vita ſua prædicaverant. Ambitio ſuos habet ſervos, qui tantum pro vanitate patiuntur, quantum propter veritatem Martyres paſſi ſunt; & avaritia licet ſordidiſſima ſuas habet victimas, quæ pro illa immolantur, & quæ vitam ſuam in diſcrimen adducunt, ut opes ſuas tueantur. Igitur opus eſt, ut qui Martyris nomen vult adipiſci, pro Dei gloria patiatur, ſuum effundat ſanguinem, & pro Eccleſia tuenda vitam amittat. Quamobrem Martyrum nomen negari minime poteſt SS. Innocentibus, atque ut S. Cyprianus ait, cauſſæ juſtitia ſine ope Verbi ſufficit ad teſtium qualitatem promerendam: *Sufficit cauſſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur.* (*S. Cyprian. de Magis, & Innocent.*) Moriuntur enim pro J. C., honorem obtinent, quod victimarum ejus primitiæ habeantur, quod ſanguine ſuo illius irrigant incunabula; quod morienti voce illius prædicant divinitatem, & quod docent palam eum, qui in præſepi natus eſt, Dei Filium eſſe, quia non ſecus ac Pater, ſuos Martyres habet: *Deus eſt, qui natus eſt: Innocentes debentur illi victimæ. Agni debent immolari, quia Agnus futurus eſt crucifigi.* (*Aug. ſerm. de Innocent.*)

Qua in re SS. Innocentium martyrium illos ab aliis Martyribus ſecernat.

Hoc autem eſt Sanctis Innocentibus cum aliis Martyribus commune; an autem quid illis eſt proprium, & peculiare, & quod eorum diſcrimen, & gloriam conſtituit. Moriuntur pro J. C. perſona, illum a morte liberant ipſi mortem obeuntes, & ſervant vitam illi, pro quo ſuam amittunt; atque hac excellunt in re, quod Martyrii ſui cauſſa non ſolum honori, ſed etiam utilitati eſt Filio Dei. Sancti Pueri beatiores ceteris Martyribus pro Incarnato Verbo moriuntur, illos excipiunt in ſe ictus, qui in illius caput erant lapſuri; ſeſe objiciunt vi Herodis, ut illum tueantur; illum toto corpore ſuo tegunt, & ſalvum faciunt eum, qui univerſum humanum genus ſalvum erat facturus. Hoc innuit S. Auguſtinus per hæc verba, quæ ſi rite intelligantur, oſtendunt quantopere parvuli iſti reliquis Martyribus præſtent: *Occiduntur pro Chriſto parvuli, pro juſtitia moritur innocentia.* (*Aug. ſerm. 2. de Innoc.*) Hi pueri immolantur in locum J. C. & innocentia felicitatem habet moriendi pro juſtitia; vel ut S. Cyprianus ait, illius locum tenent, & a matrum uberibus avulſi in illius vicem jugulantur: *Vice Chriſti, & pro Chriſto avulſi a matrum uberibus detruncantur.* (*Cypr. de Magis, & Innocent.*) Sunt ergo Martyres verius, quam alii, quia mors eorum ſervat Domino vitam, & perſecutio, quam ſuſtinent, favet hujus fugæ in Ægyptum.

Innocentes ex D. Thoma in Cælo martyrii lauream adepti ſunt.

Quærit S. Thomas an Innocentes Martyrii laureolam fuerint adepti, & affirmative reſpondet. Attamen non pugnarunt, etenim ad pugnandum opus eſt reſiſtentia; ut reſiſtentia fiat, fortitudine opus eſt, ad fortitudinem habendam libertas requiritur, & ab habendam libertatem, integer quæritur uſus voluntatis, atque rationis. His tamen omnibus, uti vidimus, illi carebant, illorum voluntas, & ratio, infantiæ nubibus erat involuta: paſſi tantummodo ſunt, & jugulati inſtar victimarum innocentium furore carnificum, & crudeli ambitioni Principis inhumani immolati. Quinam ergo coronam hanc aſſecuti ſunt, quandoquidem ſecundum Scripturæ canones certiſſima, & generalis veritas eſt pro quibuſcunque: *Non coronabitur, niſi qui legitime certaverit.* Cum igitur pueri iſti neque pugnaverint, neque reſtiterint, victores appellari non debent. Sed animadvertite ſemper confugiendum eſſe ad privilegium, & quemadmodum prima gratia, quam ab incunabuliis Filii Dei receperunt, fuit Martyrum qualitas, licet nullum haberent uſum libertatis, atque rationis; ita gratia ſecunda laurea fuit, & corona huic inhærens dignitati, licet neque pugnaverint, neque reſtiterint. Non deeſt ergo privilegium, & gratia pro pueris iſtis, qui primi fuerunt Filii Dei milites; cum his Deus diſpenſavit. Fateor equidem Sanctos alios corona hac nequaquam fuiſſe donatos; niſi antea ſtrenue pugnaverint, fortiter reſtituerint, ſed Sancti Innocentes vere victores ſunt ſine pugna, & ſine reſiſtentia.

Confeſſio, quæ pars eſt eſſentialis martyrii in Innocentibus invenitur.

Si prima Martyrii conditio, quæ eſt propter Salvatoris finem mori, in SS. Innocentium Martyrio uberius invenitur; altera profecto illis non deeſt, & nemo illos Martyres eſſe negare poteſt, quandoquidem Confeſſores fuerunt. Confeſſio pars eſt eſſentialis Martyrii, & non ſatis eſt Deum ex corde diligere, niſi illum ore etiam confitearis. Confeſſio martyrii principium eſt, quemadmodum mors eſt ejuſdem concluſio, & S. Cyprianus Confeſſoris diu in carcere patientis, gloriam præferre videtur gloriæ Martyris, qui ſtatim inter cruciatus obit. Martyr, qui celeriter moritur, ſemel triumphat: ſed qui diutius inter ipſa permanet tormenta cum dolore pugnat quin ſe vinci patiatur, quotidie coronatur; & quo productius eſt ejus ſupplicium, eo ſanctior ipſe eſt, atque glorioſior. Eccleſiæ Patres, qui viderunt Confeſſionem in verbo tantum eſſe poſitam, acutiſſimis uſi ſunt ratiociniis, artibuſque innocuis, ut nobis perſuaderent, beatos illos pueros ea uſos fuiſſe lingua, quam J. C. audiverat, & dubitari non poſſe quominus locuti fuerint, quia illos, ut reliquos Martyres coronaverat.

Horum Innocentium ſanguis vox eſt, quæ a Deo fuit audita.

Ut magis perſpicue innoteſcat adhuc opera, quam Sancti Innocentes Jeſu Chriſto præſtiterunt, conſideranda eſt gratia, qua dignati fuerunt, ut teſtes eſſent ſine voce, & ſine verbis. Senſus hic deſumi poteſt ex Oratione, quam hodierna die nobis proponit Eccleſia in horum Innocentium laudem: *Deus cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt.* Ecce pueros voce carentes, quomodonam poſſunt Jeſum Chriſtum confiteri? S. Ambroſius inquit, Martyrum ſanguini peculiarem hanc ineſſe virtutem, ut recens fuſus vocem habeat elatam, atque perſpicuam, quæ apud duplex Tribunal auditur: 1. Ante tribunal Dei; 2. ante hominum tribunal: cum enim moritur Martyr, offert ſanguinis ſui ſacrificium; profitetur auctoritatem, quam habet Deus in vitam ſuam; ſed attollit etiam vocem ſuam ad homines, ut illis fidei ſuæ veritatem oſtendat ſanguinis ſui effuſione probatam. Difficile non eſt in Sanctis Innocentibus alterutram ex his vocibus invenire; Etenim procul dubio Dei Filius inſignem ſibi honorem adhiberi exiſtimavit, ubi vidit gloriæ ſuæ quatuordecim, vel quindecim innocentium victimarum millibus immolari.

Dei Filius per ſanguinis ſui meritum ſupplevit defectui libertatis in ſuis pueris.

Hi ergo infantes Martyres ſunt, licet ſua uſi non fuerint libertate; quod ita probatur. Noſtis in lege veteri per circumciſionem, & in lege gratiæ per Baptiſmum infantes juſtificari, fierique Cælorum heredes, ſine ullo libertatis eorum uſu; illis igitur pax nuntiatur ſine voluntatis illorum uſu. Cur? Quia Deus applicat ſanguinis ſui meritum defectui voluntatis horum infantium, quod meritum cum ſit pretii infiniti, & huic requiſitæ ſuppleat conditioni, illos juſtificat, eiſque obicem aufert, quem habebant ad gloriam. Ita S. Bernardus ait, Si Deus communi privilegio, & gratia, cujus quotidie experimur effectus, id ſupplet, nonne dicere poſſumus per gratiam minime communem, vulgatamque applicare ſua merita pro Innocentibus, ut hic ſuppleat circumſtantiæ quæ requiritur in hac Martyrum dignitate, qua gaudent, & quæ eſt uſus rationis, atque libertatis. Sententiam hanc mutuatus ſum a S. Petro Chryſologo, (*Chryſolog. ſerm. 153.*) qui illos gratiæ, atque privilegii Martyres vocat. Eſto Sancti infantes ſine ullo rationis uſu fuerint interfecti ob tyranni ſævitiam; quod martyrii gloriam perceperint, hoc magnum eſt opus gratiæ in hoc poſitæ, quod Dei Filius præter ordinem applicavit illis meritum lacrimarum ſuarum, exſiliumque ſuperiorum ſuorum, ut neceſſariæ huic ſuppleret circumſtantiæ, quæ eſt uſus rationis, & libertatis.

Sancti Innocentes juſtificati, baptizatique ſunt in ſanguine ſuo.

Angeli, nato Domino, pacem annuntiant hominibus bonæ voluntatis, iis etiam, qui nondum habent ſuæ voluntatis uſum. S. Bernardus addit: *etiam ſine voluntatis uſu in ſacramento pietatis.* Etenim ſicuti ſub lege veteri pueri juſtificabantur in Circumciſione per fidem parentum ſuorum in ſanguinem a Jeſu Chriſto effundendum; ita Baptiſmus juſtificat pueros novæ legis per ſanguinem, quem Jeſus Chriſtus effudit. Hic autem Innocentes in proprii ſanguinis baptiſmo juſtificantur, quia ſupplet Jeſus Chriſtus defectui rationis, & libertatis, quæ in illis deſiderantur. Nemo coronabitur, niſi qui certaverit præſcriptas pro certaminibus leges ſervans? Et nihilominus Scriptura hodie nobis exhibet Victores ſine certamine, Martyres corona redimitos, ac triumphantes, qui in arenam deſcenderint: *Quos fecit capere ſine concertatione victoriam: quos donavit coronis, antequam membris,* S. Petrus Chryſologus inquit. Dei intuitu aſſecuti etiam ſunt omnem illorum prærogativam, qui vitam ſuam pro Jeſu Chriſto devoverunt. Gloriæ eſſentia, atque laurea, ut ſcholæ loquuntur, illis data fuit; quia primi fuerunt Jeſu Chriſti milites, qui a certamine diſpenſati fuerunt, & nihilominus uberrimum victoriæ fructum retulerunt cum omnibus glorioſis inſignibus, quæ illum concomitantur.

Nullum Deo jucundius eſt ſacrificium eo, quo illi vitam noſtram per martyrum offerunt.

Incomparabilem percepit Filius Dei gloriam ex SS. Innocentium cæde, quia fuerunt victimæ primi illius ſacrificii, quod ipſi oblatum fuerit in Majeſtatis ejuſdem honorem. Omnes hoc facile ſentient, ſi de ſacrificii natura cogitabunt, & quid martyrii nomine a nobis intelligatur, inſpicient. Hi enim Innocentes per mortem ſuam duo hæc conjunxerunt, quæ non minimum ad Salvatoris, & Creatoris univerſorum gloriam contulerunt. Deus quatenus Deus colitur per ſacrificium, quod ipſi a creatura offertur, & per ſollemnem profeſſionem, quam per hoc illa fecit, eumdem habendi entium omnium auctorem, ſupremumque vitæ, ac mortis arbitrum. Hoc autem plane declaratur per immolatæ victimæ conſummationem. Ceterum hæc ſemper fuit Eccleſiæ, omniumque SS. ſententia, ex omnibus ſacrificiis quæ Deo poſſumus offerre bonorum ad nos pertinentium, maximum, ideoque illud, quod illi maximam gloriam procurat, eſſe vitam noſtram per martyrium eidem offerre; cum in aliis legis antiquæ ſacrificiis externa litaretur victima, & per eam indigitabatur, eum qui illam offerebat, paratum eſſe, ut propriæ deſtructioni aſſentiretur, ut ſupremam Dei coleret Majeſtatem. Nihil prodeſſet iterum aſſerere, illos non potuiſſe aſſenſum præbere, ut propter recens natum Jeſum Chriſtum vitam darent, quandoquidem ignorabant illum, & Sancti illi pueri

pueri ſemetipſos non noverant; ſatis eſt eos ipſius occaſione paſſos fuiſſe, & ſanctas has victimas in locum illius cæſas fuiſſe; cum carnificum ſævitia illos Herodis ambitioni immolare quærebat; hoc inquam ſufficit, ut verum ſit Martyrium, & conſequenter nihil nato huic Deo glorioſius eſſe poterat, quam ſpeciali gratia, & Sanctis hiſce pueris particulari concedere favorem ſua honorandi incunabula tanto numero victimarum.

Difficultas quæ hoc in argumento poteſt oboriri, & quam ſolvit Theologia.

Cum Martyrium ſit voluntatis opus, fruſtra aſſerimus Sanctos Innocentes confeſſos fuiſſe J. C., niſi probamus, illos pro hoc pati voluiſſe, atque ſua explicantes deſideria, mentem ſuam Æterno Patri aperuerint. Scio equidem S. Bernardum ad hanc difficultatem dirimendam, affirmare triplex eſſe martyrii genus in Eccleſia; Alios effectu & voluntate martyres; alios Martyres voluntate, non effectu; alios tandem effectu martyres, non voluntate. Si Sancti Innocentes, qui noviſſimo in numero ſunt, Martyres fuerunt effectu, non voluntate, Deus eorum meritis ſupplevit peculiari privilegio; & Deo ſatis fuit mortis eorum effectus, quamvis voluntas illum non comitaretur. Fateor hanc Martyrum varietatem recte fundatam eſſe, & efficere, ut mirum in modum infinita Dei bonitas eluceſcat, quæ dignatur acceptum habere mortis eorum effectum ſine voluntate, quemadmodum in aliis plurimis ſola illi ſuffecit ſine effectu voluntas. Videtur quidem Martyrio illorum præcipuam deeſſe conditionem; ſed facta eſt ſancta communicatio inter J. C., & Sanctos hos pueros; hi eidem corpora ſua ad patiendum commodaverunt; Salvator vero illis ad merendum ſuam commodavit voluntatem. Hi propter illum mortui ſunt, ille pro ipſis meritus eſt; & horum mors cum illius voluntate conjuncta martyrio eorumdem addit perfectionem. Hoc mirum eſſe non debet Fidelibus, quos non latet, originale peccatum eſſe voluntarium, & homines nocentes eſſe in Adam, & ſicuti per oculos ejus vetitum viderunt fructum, per manus illius collegerunt, per os illius manducarunt, ita voluntate ſua deliquiſſe. Hinc Deus remedium mali naturæ aptans, voluit pueros per filii ſui merita ſalvos fieri in Baptiſmo; ac invenire ſalutem in voluntate illius, quemadmodum in voluntate Adæ ſuum excidium invenerant. Eccleſia eadem Æterni patris exemplum ſecuta, illis commodat cor Fidelium ad credendum, eorumque linguam ad confitendum, ut quemadmodum parentis ſui culpa interierunt, per fratrum fidem ſalventur. *In Eccleſia Salvatoris*, S. Auguſtinus ait, *per alios parvuli credunt, ſicut ex aliis ea quæ illis in baptiſmo remittuntur peccata, traxerunt.* Cur ergo credendum non erit, Dei Filium SS. Innocentibus eamdem conceſſiſſe gratiam, quam fidelibus omnibus concedit? Cur credendum non erit, ſanguini eamdem ineſſe virtutem, ac aquæ pro nobis; & illos in Martyrio idem privilegium ſortitos fuiſſe, quod Chriſtiani in Baptiſmo recipiunt: *Non minus eſt enim ſanguis, quam aqua ad lavacrum animæ efficax.* (*Cypr. de Mag. & Innocent.*)

Quam injuſte ſe geſſerit Herodes cum Magis & pueris quos juſſit interfici. Ratio illius diffidentiæ, & crudelitatis.

Herodes furorem conceperat adverſus Magos, cur ergo illum in Innocentes evomebat? An neſciebat, nativitatem illius, quem conquirebat ad necem, nativitatem divinam eſſe, & cædem hanc, quam in tot filios peragebat nunquam effecturam, ut divina oracula in irritum cederent? Nonne juſſu illius Sacerdotes, & Scribæ convenerant? Nonne prophetias illi nuntiaverant? Nonne videbat vetera cum recentibus Oraculis conciliari? Nunquid ignorabat, ſtellam prædictam de extrema Orientis Plaga Magos illuc adduxiſſe? Cur ergo non argumentabatur, veritatem æternam ita de rebus omnibus diſpoſuiſſe? Et licet eum fefelliſſent magi, cur in ſceleris eorum pœnam tot Innocentes erant plectendi? Sed Herodes Judææ regnum invaſerat, vel ſaltem illud ab invaſoribus, hoc eſt, Romanis acceperat; Rex Judæorum creatus Senatus Conſulto poſt Pompeji magni victorias, ac poſtmodum a Cæſare Auguſto confirmatus. Sed cum hic ſit mos eorum, qui imperium non tenent neque per legitimam vocationem, neque jure nativitatis, ut ſemper pertimeſcant, ſuſpicentur, diffidant, mirum non eſt Regem hunc crudelem omnibus hiſce vitiis obnoxium fuiſſe, & cum ſuapte natura talis eſſet, immoderatam regnandi ambitionem omnes pravas has qualitates in dies magis feciſſe deteriores.

Cum ira, & metus, quæ ſunt oppoſita inter ſe ſimul in corde hominis nefarii inveniuntur; nihil eſt, quod inauſum relinquat, uti in Herode palam videtur.

Ira, & metus ſibi invicem adverſari videntur, cum illa quidem ſit ignea, hic autem frigidus; hic moderatus, atque ſe intra ſemetipſum continens, illa vero velox, & ad agendum celerrima. Sed ubi duo affectus iſti ſimul conjuncti ſunt, & ira timori conſociata eſt, præſertim vero in corde hominis, qui ſuapte natura impius, & nefarius eſt, & in cujus manibus eſt auctoritas; quouſque furoris minime evadit? Impietas, ſacrilegia, cædes, omnia nullo apud ipſum in diſcrimine ſunt, dummodo ad optatum finem perveniat, & ſuos conatus expleat, quin illud intueatur, utrum juſti, ac rationabiles ſint. Quod ſi utraque hæc animi perturbatio in homine occurrat, qui regnandi libidine captus eſt; quod malum non pariunt? Hoc in crudelis Herodis perſona intuemur. Cum Tyrannus iſte omnem de reditu Magorum ſpem abjeciſſet; videretque ſe ab illis deceptum, certior factus de loco, ubi Rex infans natus erat, & cujus nuntium ad ipſum perlatum fuerat, quomodo illius furor exarſit? Quot innocentes victimas ſuæ ambitioni ſacravit, veritus, ut elaberetur ſibi e manibus ille, quem perquirebat, & cujus nativitas divinis prædicta Oraculis, tantam ſuſpicionem in illius animam ingerebat?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci ad hoc pertinentes argumentum.

Gaudium ab Angelis Salvatore nato nuntiatum innocentium cæde turbatum fuit.

NOnne mirum eſt, intueri pacem, & gaudium, quod Mundo nuntiarunt Angeli propter Salvatoris nativitatem, adeo repente inhumana tot puerorum cæde perturbari, quos vix in hanc lucem editos barbarus crudelis Herodis furor propter recens natum Meſſiam fœdiſſima cæde delevit? Cæleſtia illa Cantica, quibus ad liquidas Beatorum Spirituum voces aer perſonabat, & omnia non communis lætitiæ inſignia in ploratus, clamores, & ejulatus commutata fuerunt, qui late non ſolum in oppido Bethlehem, ſed undique etiam in omnibus finibus ejus exauditi ſunt; cum mœrentium matrum ululatus, vox tanti Sanguinis inhumane effuſi, & querimoniæ tot familiarium dolentium in Cælum uſque aſcenderunt, ac metu, & horrore Judæam omnem repleverunt: *Vox in Roma audita eſt, ploratus, & ululatus multus*; (*Matth. 2.*) quemadmodum Evangelium, atque Prophetæ explicite teſtati ſunt.

In his Pueris ſumma felicitas fuit e viventium numero ſublatos fuiſſe, antequam innocentiam amitterent.

Quam felicitatem, vel quod optatius bonum parvulis iſtis afferre poterat injuſta Herodis perſecutio, quam illos ex hoc mundo auferre, antequam ullo crimine ſuam coinquinaſſent innocentiam; cui per ætatem pares eſſe non poterant? Profecto ſicuti peccatum malorum omnium eſt maximum, vel potius malum unicum quod in hoc mundo ſit nobis pertimeſcendum, nobis tanquam bonorum omnium maximum, & tanquam effectus ſingularis divinæ protectionis exiſtimandus eſt, ab eo nos præſervatos fuiſſe. Equidem ſcio hanc non fuiſſe mentem Herodis, qui toto cælo ab hac aberat cogitatione. Hoc ſævitiæ monſtrum nil aliud animo verſabat, quam ambitionem ſuam, & conſilium ſibi tuto aſſerendi injuſtam, quam invaſerat dominationem, metuens, ne illa ſibi a Rege hoc recens nato, & quem ſub idem fere tempus Judæorum populus expectabat, eriperetur. Verum Deus, cujus conſilia toto cælo noſtris ſunt ſuperiora, id ſpectabat, quod hominum mentibus ſcrutari minime licet; cumque ipſis mortalium ſceleribus utatur, ut inde gloriæ ſuæ incrementum percipiat, ipſe felicitatem, ac præſtantiſſimum horum Puerorum bonum ea ætate, quæ integerrima eſt & ab omni crimine immunis procuravit. Hæc autem felicitas, & bonum eſt, raptos fuiſſe ab hoc mundo, antequam hujus innocentiæ jacturam fecerint, quod de Henoc refert Scriptura: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* (*Sapient. 4.*) Etenim quis apertior eſſe poteſt peculiaris prædilectionis effectus, & particularis erga illos providentiæ, quam quod Deus uſus fuerit Herodis crudelitate, qui illorum vitam ſuæ ambitioni ſacrificans, abſtulit illis omnem interitus cauſſam, æternamque eorum ſalutem certiſſimam fecit?

Nil magis confert ad Meſſiæ nativitatem oſtendendam quam Innocentium cædes.

Nihil unquam efficacius, præſtantiuſque fuit ad oſtendendam gloriam nativitatis Filii Dei, quam SS. Innocentium cædes Herodis juſſu patrata. Inſignis iſta crudelitas brevi per omnem terrarum orbem perlata, Romam uſque acceſſit, ubi Auguſtus, qui tunc Imperium obtinebat, cum audiſſet Herodem ſuo quoque Filio necem attuliſſe, & ne proprio quidem ſanguini pepercisse, ait, ego quidem mallem eſſe Herodis porcum, quam filium; quia Judæi ſuilla carne abſtinebant, neque occidebant ſues, cum interim Herodes ita ſævus extiterit, ut ipſum filium furori ſuo ſacrificaret. Quapropter cum cædis adeo inauditæ rumor per totum terrarum orbem manaverit; & in omnibus angulis percrebuerit, ſimul Filii Dei gloriam, atque celebritatem effudit. Dicebatur enim cur tyrannus iſte crudelis tot innocentium Parvulorum cæde ſe coinquinavit. Grandis profecto illi fuiſſe cauſſa dicenda eſt, ut ne ſuo quidem parceret filio; etenim proculdubio adeo amens, ac furioſus non extitiſſet, ut crudelitati ſuæ quatordecim, aut quindecim victimarum millia, niſi ex graviſſima cauſſa, mactaret. Hæc autem fuit, quia audiit, recens natum eſſe Regem, qui in Judæa univerſa erat imperaturus; viſam in cælo fuiſſe ſtellam, quæ illi in mundo naſcenti facem præferret, tres potentiſſimos Reges ex remotiſſimis regionibus ad illum adorandum veniſſe, ac ipſum, in manifeſto verſari periculo regnum ſuum amittendi. Hæc ille ſecum reputans, cum crudelis eſſet, & ambitioſus, putavit vitæ, honoriſque ſui intereſſe tanto huic malo conſulere. Hæc fama latius in terras omnes ſe effudit, ſimulque gloriam & nativitatem filii Dei publicavit. *Biroat.*

Mirum eſt, quod Dei Filius, qui venit ut mundo pacem afferret cauſſa fuerit belli, & cædis adeo crudelis.

Nonne vobis inceſſit admiratio videntibus J. C. nativitatem tot Parvulorum morti locum præbere? Illius, qui ideo in Mundum venerat, ut vitam daret, & abundantius daret? *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* (*Joann. 10.*) Nonne miramini, intuiti incunabula J. C. naſcentis fieri ſepulcrum tot parvularum victimarum, quas tyranni crudelitas immolavit: Hæccine pax eſt, Domine, quam per Angelos pacis nunciaviſti? Sed mementote Dominum aperuiſſe nobis ſenſum hujus paradoxi, cum dixit, ſe in mundum veniſſe, ut pacem daret non illi ſimilem quam dat mundus illis, qui illius legem ſequuntur, ſed pacem, quam naſcens attulit nobis, eam eſſe, quæ per relatam de affectibus ſuis victoriam adquiritur, Dei legem implendo. Hæc illa beatitudo eſt, quam J. C. nativitas SS. Innocentibus procuravit. Nati erant mundo morituri, mundo moriuntur in æternum victuri. *Biroat.*

Ex hac cæde intelle-

Quam verum eſt, o Deus! Divinas Scripturas eſſe noſtram con-

BIBLIOTECA CENTRAL

093676

Ita eſt veritas prophetiarum & conſilia Providentiæ, quæ ex graviſſimis malis bonum elicere novit.

conſolationem, & eas ad nos erudiendos perquam utiles eſſe. Divinitus illas inſpiraſti Prophetis tuis, qui te unum reſpiciebant cum loquebantur. Poſſumus quidem Religionis ſpiritu admirari prophetiarum complementum in SS. Innocentium martyrio. Hoc ipſe multis ante ſæculis prædixeras: *Vox in Rama audita eſt; Rachel plorans filios, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Crudelis iſte Tyrannus Herodes immodicæ ambitioni ſuæ ſatisfacere cupiens, executus eſt ea vaticinia laniena cruentiſſima. Ita, Domine, ſecundum æterna adorabilis providentiæ tuæ conſilia educere noſti ex malo bonum, & ex teterrimis noſtrarum cupiditatum flagitiis gloriam tuam percipere, utens jugi impiorum voluntate in malo, ut maxima quævis conſilia tua exequaris, ut adimpleas veritates quæ in ſacris bibliis continentur, & ut magis, magiſque nos confirmes in veritate earum promiſſionum, quas omnibus hominibus facere dignatus es. *Sermo Manuſcriptus.*

Hypotipoſis ſollicitudinum, & ſuſpicionum hominis ambitioſi in perſona Herodis.

Quid non mortalia pectora cogit dominandi cupiditas? Herodes crudelis ille tyrannus non horruit omnium ſcelerum audaciſſimum perpetrare, conatus vitam eripere Salvatori Mundi totius, ut ſine competitore gauderet regno, quod illi offerre debebat. Animadverti poteſt, quomodo ſpiritus ambitioſus inquietus eſt, timidus, ſuſpicax, contremiſcit cum nulla adeſt timoris cauſſa; credit, omnes homines ſibi eſſe iratos, omnes ſibi eripere velle dignitatem ſuam, & aliquam ſemper in ipſum fieri conjurationem. Id genus chimæricæ inaneſque ſuſpiciones Herodem turbant, neſcientem Dominum noſtrum in terras dilapſum eſſe, non ut hominibus temporalia eriperet regna, ſed ut illis æternum regnum promereretur. Sed poſthæc quonam dolore affectus fuit Filius Dei, cum ex Ægypto quo confugerat, vidit horribilem innocentium cædem, qui per illius occaſionem jugulabantur? Credendum eſt, eodem ferro, quod illorum corpora cædebantur, cor illius fuiſſe tranſverberatum acri miſerationis ſenſu, & illum tot in anima ſua pertuliſſe martyria, quot tyrannus inferebat innocuis his victimis in membris corpuſculorum eorum. *P. a Ponte in Meditationibus ſuis.*

Alia hypotipoſi Herodis ab ambitione ſua vexati, & mox conſcientiæ ſuæ ſtimulis dilaniati.

Antequam crudele hoc facinus perpetraret Herodes, qui illum vidiſſet, ſane vidiſſet hominem furenti ambitione ſua divexatum, terrore correptum, furentem, turbatum, agitatumque. Audit in ditione ſua Regem natum eſſe, ſtellam in Cælo apparuiſſe, prophetiam eſſe adimpletam, regnumque ſuum finem habiturum. Ecce ſpiritum prorſus agitatum, qui neſcit, quo ſe vertat, quid conſilii capiat. Tyrannus eſt, qui ſe ipſum torquet: ambitio, & crudelitas ejus ſunt illi carnifices, qui illum per omnes artes deducunt, neque illi aliquam requiem permittunt, ſed indeſinenter illum dilaniant. Sin autem Herodem cogitamus facinus hoc perpetrantem, nunquam vidimus hominem hoc magis agitatum, qui ut ſuæ ſatisfaciat ambitioni, quatuordecim, vel quindecim Puerorum millia jubet occidi, & ſimul videt de ſe quovis tempore dictum iri, illos ab ambitione, & furore ſuo fuiſſe immolatos. Nam licet criminum ſuorum magnitudine omnes conſcientiæ ſuæ ſtimulos, & ſecretas exprobrationes, quas ſibi quiſque intrinſecus facit, ſuffocaverit: tamen mors tot Innocentium victimarum crudeliter cæſarum jugiter ſeſe illius oculis objiciens, nonniſi illi ſuum facinus, furoremque poterat exprobrare. Conſideremus poſt hæc tyrannum poſtquam tantum facinus executus eſt; Spiritus illius plurimo horum Puerorum phantaſmate, quod illi plane ejus furorem, ac inanem crudelium imperiorum ſuorum ſeveritatem oſtendit, agitatur; ita ut ſi omnes homines congregati fuiſſent, ut tyrannum eumdem morti damnarent, nunquam tantum illi terrorem injeciſſent, quantum illi peperit funeſtum hoc objectum tot Puerorum interfectorum. Tamen nondum ſaturata eſt ejus ambitio, non enim certus eſt, utrum parvulus Rex ille, quem quærit, mortuus fuerit, & in hac univerſali cæde involutus. *Biroat.*

Apoſtrophe ad SS. Innocentes, eo quod morte ſua Salvatorem ſuum ſervaverint.

Quam beati vos eſtis parvuli Salvatores magni Salvatoris Mundi totius? Nonne jure dicere poſſumus vos primo ſalvaſſe illum, antequam ab eo reliqui homines ſalvarentur, quandoquidem mortui eſtis pro illo antequam pro vobis ille moreretur? Sed ut verum dicam, vos mortui non eſtis, ipſe ille in vobis eſt mortuus; non enim veſter, ſed ſanguis ſuus in venis veſtris requirebatur; ejus vita, non veſtra requirebatur in ſanguine veſtro; verbo, ille, non vos, ad necem requirebatur. Itaque mors veſtra proprie ſua fuit, ita ut vos fueritis totidem veluti parvuli Salvatores. Aliorum Martyrum gloria celebratur, quo vitam ſuam pro Redemptoris ſui gloria dederunt; ſed non eſt illis hoc privilegium, quod vobis, qui immolati fuiſtis, perinde ac illius perſona fuiſſetis. Vobis dumtaxat hæc tribuitur laus, quod Eccleſia tanquam primos Martyrum flores vos ſalutet: *Salvete flores Martyrum.* O flores innocui! Quanam labe fœdati eratis? quod crimen commiſeratis, ut tales daretis pœnas? Omne ſcelus veſtrum hoc erat, fuiſſe adeo ſimiles humanitati J.C., ut ab illo ſecerni nequaquam poſſetis; ſcelus veſtrum erat, eſſe ætate illi pares, patriæ ejuſdem cives, & fortaſſe illi etiam aliqua cognatione conjunctos. Similitudo hæc propter quam illum vos eſſe putabamini, illud crimen eſt, quod vos dignos præbuit, qui mortem adeo glorioſam ſuſtineretis. O milites beatæ crudelitatis monſtri hujus victimæ! qui fere naſcentes primos redemptionis totius naturæ humanæ fructus collegiſtis: beatitudo incomparabilis, quam non ipſi vos quæſiviſtis, ſed quæ propter ſolam Dei voluntatem vos ipſa quæſivit. Ne dicat quiſpiam vos non potuiſſe mereri palmas, quia illas velle non poteratis. Verum quidem eſt vobis non aliam fuiſſe voluntatem, quæ vos ageret, niſi voluntatem Salvatoris veſtri. Sed quis dicere auderet, vos non meritos fuiſſe, ut pro Sanctis Martyribus haberemini, quia non aliam, quam Dei voluntatem habueritis. *P. de Argentano Collat. Theologic.*

Herodes in conſilio factoque ſuo ſibi contrarius.

Ita eſt, o glorioſi Innocentes, vos in album generoſorum Athletarum referimus, qui pro tuenda J.C. gloria vitam ſuderunt. Vos pro gloria ejus non ſecus ac illi pugnaſtis, vos pro illius perſona paſſi eſtis, quod illi non fecerunt, ut vos; vos lacrimis veſtris locuti eſtis, vos confeſſionem veſtram veſtro ſanguine, & morte ſignaſtis, & Dei filius, quem corpore veſtro tegebatis, vobis ſpiritum, voluntatemque ſuam dedit, ne quis Martyrum dignitatem vobis detrectaret. Hac igitur fruimini in terra, ubi eam morte veſtra eſtis adepti; ejuſque coronam in cælo poſſidete, ubi cum illo regnatis, pro quo certaviſtis, ac fatemini vos gloriam debere gratiæ, quæ vos prævenit. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Impius Herodes ſibimet contrarius videtur in ambitioſis conſiliis ſuis: unde enim quæſo metus ille proficiſcitur, quem propter puerum recens natum concepit? Quomodonam tenella ætas tantum ſuſpicionis in animum ejus valet immittere, ut reformidet? Num metuit novum ſydus, an allatum ſibi a Magis nuntium de nativitate novi Judæorum Regis? Num Prophetias a Sacerdotibus, & Legis Doctoribus explicatas? Sed infelix Tyranne, vel omnibus ſignis his credis, vel minime credis. Si credis ſigna hæc a Deo eſſe, putaſne te effecturum, ut æterna ejus decreta in irritum cedant? Putaſne te divinam Majeſtatem fallere poſſe, omniaque ejus evertere conſilia? Si credis hæc omnia a Deo eſſe profecta, fruſtra tantam cædem perſequeris; hoc potius tuos conatus infringet, quam juvabit; tantum enim tuum Regnum imminuis, quot ſubditos enecas, & non ideo minus Dei voluntas implebitur. Sin autem credis hæc omnia miracula eſſe præſtigia, & tibi fucum fieri velle arbitraris, fruſtra reformidas phantaſma, in rudium hominum mente, qui illud tibi nutiarunt ſubſiſtens. Sed Tyrannus ad hæc rationum momenta animum non poteſt advertere; caret bono ſenſu, atque furens dominandi cupiditas illum ita obcæcavit, ut minime mirum ſit, ſi in tantæ cæcitatis exceſſu jubeat tot innocentes victimas immolari ea mente, licet inutili, ut eadem involveret internecione Regem recens natum, cujus gloriæ neſcius, eos immolat. *Molinier ſermone in dies feſtos Sanctorum.*

Fortaſſe plerique horum Puerorum in mundo periiſſent, ſi ſecundum naturæ curſum vixiſſent.

Ut intelligatis apertius bonum illud, quod his Innocentibus præceps eorum attulit Martyrium, quiſnam dubitare poteſt, quin eorum nonnulli, & fortaſſe etiam plurimi quin ingrederentur in Cælum per innocentiæ viam, quæ eſt infrequens admodum, in viam perditionis eſſent aberraturi? Quis ſcire poteſt utrum primi iſti Dominicæ nativitatis præcones primi futuri fuiſſent, qui cum aliis populi ſui in Jeſu Chriſti mortem conjurarent; vel etiam futuri fuiſſent ex numero perſecutorum ejus, cum hoc pacto fuerint primitiæ victimarum, quas Herodis crudelitas illis immolavit? Credi ſaltem poteſt, quin audeamus incerti futuri arcana ſcrutari, non omnes innocentiam ſuam ſervaturos fuiſſe, quam ante Dei thronum pertulerunt; experientia quippe ſatis nos docuit, quot illa periculis obnoxia ſit in generali mundi totius labe. Quis enim ignorat proclive illud ſtudium, quo prona trahitur in voluptates adoleſcentia? Quis ignorat vim cupiditatum, quæ provectioris ætatis ſunt ſcopuli? Occaſiones, quæ vel occurrunt, vel quæruntur in toto vitæ curriculo, ubi virtus etiam optime roborata ſtare nequit, niſi peculiari Dei præſidio fulciatur. Vix alius auditur ſermo, quam de periculis, quæ ſalutis amittendæ paſſim occurrunt, & de ſalutis obtinendæ ſumma difficultate. Numerus vero eorum, qui innocentiam ſemel amiſſam reparant vera pœnitentia, adhuc minor eſt, quam eorum, qui illam toto vitæ ſuæ ſpatio tuentur. Quodnam igitur in ſalutis diſcrimen vocati non fuiſſent illi omnes, quos Eccleſia, ſimulque Patres primitias humanæ redemptionis, primoſque fructus lacrimarum, ſanguiniſque Salvatoris appellant? Profecto cum S. Auguſtino dicere poſſumus, Herodem cum tota potentia ſua nequaquam potuiſſe beneficiis ſuis tantam conferre beatitatem, quantam odium ipſius procuravit, vel odium potius, quod contra Meſſiam conceperat, quem in eorum perſona perſequebatur: *Ipſe iniquus non potuiſſet ei tantum prodeſſe obſequio, quantum profuit odio.* Quod efficit, ut certiſſime inter maxima Dei beneficia collocare poſſimus, atque prædilectionis tanquam argumenta cognoſcere, afflictiones, pœnas, cruces, quibus divinæ providentiæ placet nos in hac vita dignari: cum via hæc fuerit omnium electorum via, & cum ipſe Dei Filius de hac nos veritate confirmet, quandoquidem in anteceſſum beatos appellat eos, qui in hac vita *perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Auctor Sermonum in argumenta omnia.* (*Matth.* 5.)

Impiorum perſecutiones in bonos, alios quidem in virtute confirmant, alios vero imbecilles quatiunt.

Improborum perſecutiones viris bonis hoc bonum procurant: illos vulgo in gratia ſervant, & in Dei ſervitute confirmant: verum quia non deſunt alii, quos quatiant, perturbentque, dicere poſſumus in hoc verum poſitum eſſe diſcrimen inter Dei, & ſæculi filios, quemadmodum loquitur Scriptura, ſi perſecutionibus cedunt neque ſuſtinere poſſunt irriſiones, & dicteria, quæ ſibi ingeruntur; neque ſatis animi illis eſt, ut odium, quo improbi eos proſequuntur, bellum, quod

æquo liberiores ipſis indicunt; verbo perſecutiones, quas mundus in illos exercet, æquo animo ferant. Pudet eos palam juſtitiæ, virtutiſque partes amplecti, ne irrideantur, & populi ludibrium fiant, vel ne traducantur tanquam ignavi, & morum, officiorumque mundi hujus ignari. Hæc ex S. Auguſtini ſententia magna perſecutio eſt, qua mundus innocentiam laceſſit; crudelior, ac funeſtior quodam in ſenſu illa, quam Tyranni fidei, & Religioni intulerunt; efficit enim, ut abrenuntietur pietati, atque officiis præcipuis, quæ Chriſtiani in ipſo baptiſmate palam profitentur. Verum hæ ipſæ perſecutiones liquido probant, quinam ſint electi, atque prædeſtinati; illorum periculum faciunt, & in cauſſa ſunt, ut magis generoſi, fideles, & glorioſi videantur. Hæc veritas eſt, quam ſæculorum omnium experientia confirmavit, virtutem, innocentiam, & morum ſanctimoniam nullibi magis, quam inter perſecutiones enituiſſe. Nunquam David major, vel ſanctior fuit, quam cum Saul illum ad mortem uſque peſecutus eſt; numquam Judæorum populus fidelius Dei cultui adhæſit, quam cum permiſit Deus, ut opprimeretur, duceretur in ſervitutem, & omnes undique illum perſequerentur? Nunquam Chriſtiani ſanctiores fuerunt, quam cum teterrimæ ſæviebant perſecutiones, ubi in ſingula momenta vita eorum in diſcrimen vocabatur, & coram Tyrannis ſe ſe ſiſtere cogebantur. Martyrium intuebantur tanquam ſuæ beatitudinis cumulum, & veluti locupletiſſimam mercedem vitæ ſanctæ, & innocuæ, quam duxerant. *Idem.*

Bonum præſtantiſſimum, quod Herodis perſecutio his Pueris procuravit, fuit, pro Jeſu Chriſto cæſos fuiſſe.

Hoc etiam aliud bonum eſt, quod Herodis perſecutio beatis Infantibus procuravit, quod nempe primi fuerunt Jeſu Chriſti Martyres; & ſicut canit Eccleſia, flos & primitiæ Martyrum, videlicet primi teſtes divinitatis J.C.; quia, dicit illa, non loquendo ſed moriendo, non voce, ſed ſanguine, illum confeſſi ſunt. Noſtis, quæ gloria Martyris nomini adhæreat, & Chriſtianam Religionem nihil ſublimius, & majus habere, nec ignoratis in cælo fulgidiſſimas coronas illos manere, qui invicta conſtantia inter ſæviſſimos cruciatus fidem ſuam fuerint confeſſi. Hanc autem gloriam, hunc honoris titulum, hunc felicitatis cumulum adepta eſt hæc Puerorum turba, quorum memoria hodierna die ab Eccleſia celebratur, hujus perſecutionis præmium. Dei Filio accepti ſunt non propter innocentiam tantum, verum etiam propter Martyrium, quod per occaſionem illius ſubierunt. *Idem.*

Dei Filius paſſus non eſſet hos Pueros propter ſe vitam amittere, niſi eos voluiſſet remunerari aliquo bono, quod vitæ ipſi præſtaret.

Si mors glorioſa eſt coram hominibus, cum nobilem ob cauſſam & præclara quapiam in occaſione ſuſtinetur; ſane coram Deo pretioſa eſt, cum pro ejus gloria, quomodocumque ſuffertur. Illud autem in SS. Innocentium morte ſingulare eſt, excepiſſe illos in ſe vulnus, quod Homini Deo inferebatur; atque eumdem ab inimicorum telis eripuiſſe. Si præterire non potuerunt hiſtoriæ liberalitatem Principum erga ſubditos, qui per illorum occaſionem, ac in ipſorum odium contumeliis affecti fuerunt; Dei Filius paſſus ne fuiſſet hac innocentes victimas propter ſe, & in locum ſui internecione deleri, quin illis reponeret aliquid illa vita pretioſius, quam propter illum, & in locum illius amiſerunt? Quid autem illis vita præſtantius largiri poterat, niſi nomen, gloriam, & martyrii mercedem? quandoquidem hac una re pietas Jeſu Chriſti, S. Bernardus ait, Herodis tyranni, crudeliſſimi impietatem ſuperavit. *Nunquid major eſt impietas Herodis pietate Chriſti? Idem.*

Hoc exemplo docemus, numquam Deo majorem gloriam deferri, quam propter illius amorem patiendo.

Ex hoc exemplo dicendum nobis eſt, non poſſe nos majorem Salvatori generis noſtri gloriam deferre, quam aliquid propter illius amorem ſuſtinendo; & ſicuti omnium ſacrificiorum, quod illi offerre valeamus, maximum eſt vitæ noſtræ per generoſum martyrium; illud quod propius ad hoc accedit, ideoque illi glorioſius eſt, ſane eſt aliquid pro illius gloria tuenda perferre. Nefas eſt nobis manum cruentam inferre, & mortem conſciſcere, quod horribile flagitium eſſet, ſed propter juſtitiam mori, & lubenti, & æquo animo illi parcere, qui per vim, & ſcelus vitam nobis eriperet, heroicum eſt. Simili ratione ſuis ſe bonis exuere, ut expeditius ſerviatur Deo, magnum eſt ſacrificium, ſed patienter ferre illa nobis auferri, hoc mea quidem ſententia aliquid majus eſt, quod ſimul complectitur meritum patientiæ, contemptus rerum humanarum, ſubmiſſionis Providentiæ Dei; & quod bonum uſum, in quem ereptas opes convertere poſsemus, exæquat, vel ſuperat. Ita eſt, honor, nomenque bonum ſint nobis utiliora, ut Sapiens inquit, theſauris omnibus; verum enim vero ſi invidia, vel calumnia hunc nobis honorem eripiunt fideliſſime munere noſtro perfungentibus: hæc, fateor equidem, graviſſima eſt perſecutio, & plurimis eſt admodum delicata tentatio; ſed magnum fit Deo ſacrificium, cum propter illius caritatem hominum judicia contemnuntur, & flocci fit aliena de nobis æſtimatio, ne illam amittamus, quam apud Deum obtinemus: ita ut licet omnia hæc adverſa nobis accidant invitis, patientia, quam præ nobis ferimus in hujuſmodi perſecutionibus, majorem ſæpe Deo gloriam defert, quam quodlibet præclare factum, quod zelo acti aggrederemur. *Idem.*

Per Herodis perſecutionem & Innocentium cædem fecit Dei Filius primæ Chriſtianæ Religionis fundamenta.

Aliam addo rationem, propter quam mors SS. Innocentium Filio Dei extiterit glorioſa; quod videlicet peculiari prorſus ratione ad Religionem inſtituendam contulerit. Etenim quin memoremus eorum martyrium unum eſſe ex iis vaticiniis, quorum complementum non poſtremum eſt adventus Salvatoris noſtri argumentum, ſimulque teſtimonium veritatis Legis illius, quam ille annuntiavit, ſatis eſt meminiſſe Eccleſiam, & Religionem ab illo inſtitutam ortum, & incrementum inter perſecutiones tantummodo inveniſſe, quamobrem Tertullianus ait, Martyrum ſanguinem ſemen fuiſſe Chriſtianorum; inde enim Chriſtianiſmus originem duxit, & ſtatim ac nova Religio hæc nuntiata fuit, infernus, omneſque tenebrarum poteſtates debacchari inceperunt adverſus eos, qui illam profitebantur. Sed quod proprium eſt argumenti quod pertractandum ſuſcepimus, hoc eſt, quod cum Providentia voluerit, fidem, novamque legem hoc pacto latius extendi; Herodes omnium primus Auctorem illius perſecutus eſt, ubi primum auribus ejus accidit nativitatis ejuſdem nuntium, ideo enim innocens eorum puerorum cruor effuſus eſt, ne Judæi novum Regem agnoſcerent; ideoque cruor ille fuit primum veluti Chriſtianiſmi ſemen. Hoc ſanguine Religionem jugulare tentatum eſt; ideoque crudeli hac cæde hominum Salvator prima jecit illius fundamenta. Hic ille honor eſt, quem Infantes illi Dei Filio procuraverunt; quod primi illum mortalibus præbuere agnoſcendum, & quod morte ſua primi martyres extiterunt; videlicet primi novæ Legis teſtes. Felices Victimæ, ſuper quas I. C. primitias ſpiritus Martyrii effundit, & quæ mercedem recipiunt perfectæ illius caritatis, quæ vitam ſuam ponit pro amicis ſuis: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Jam pro vobis Salvatoris munere fungebatur J. C., vos enim auferens mundo, ex laqueis illius eripiebat, omnibuſque liberabat periculis, ut vos in tutiſſimum portum adduceret. *Idem.*

Quid utilitatis ex hac Innocentium morte perceperit Deus, & quid ipſi etiam percipere debeamus?

Duplicem Deus ex prima hac perſecutione utilitatem recepit; hinc quidem beatitudinem horum Puerorum, qui fuere primitiæ Sanctorum, atque Prædeſtinatorum novi Teſtamenti; inde vero gloriam ſuam, cui mors illorum mirifice profuit. Sed utilitas, quam ipſi debemus percipere, eſt patienter ferre tribulationes, undecumque proficiſcantur; præſertim vero cum propter juſtitiam accidant, & cum innocui ſumus, ac immunes ab iis criminibus, quæ nobis ingeruntur, & quorum nomine redarguimur. Ita Deus nobis amorem teſtatur ſuum, nobiſque tribuit apertiſſimum noſtræ prædeſtinationis pignus. Verbo, hæc eſt æternæ felicitatis origo: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.* (*Matth.* 5.) Si tantum gloriæ pondus recipimus ex iis perſecutionibus, quas propter Deum ſuſtinemus, viciſſim per eaſdem incomparabilem ipſi Deo gloriam procurabimus, quandoquidem hoc eſt certiſſimum argumentum, ex quo nos illi adhæreſcere innoteſcit; ita ut non hominum odium, non illis diſplicendi, eorumque in nos animum laceſſendi metus, non denique quid in mundo moleſtiſſimum eſt, nos ab eo valeat avellere. Hoc in ſtatu Deus eos conſiderat tanquam famulos id unum cogitantes, quod ad ejus utilitatem, & gloriam conferre poteſt, &, abſit verbo invidia, tanquam martyres Juſtitiæ, quibus poſtquam virtutis eorum periculum fecit, gloriam præparat immortalem. *Idem.*

PRO SANCTI JOSEPH PANEGYRICO.

MONITUM.

PAuciſſima ea ſunt, quæ de S. Joſeph vita nobis ſint comperta, & explorata. Tria, vel quatuor facta in Evangelio memorantur, & ne unum quidem ex verbis illius ibi invenitur. Abſconditum, ac latens vitæ genus, quod ſecutus eſt, accedente ſilentio, quod Patres antiqui de ſancto Viro adfectaſſe videntur, nobis nequaquam uberem ſuppeditaret ſupellectilem ad laudes illius celebrandas, niſi parum illud, quod ex Evangelio didicimus, ejus generis eſſet, ac præſtantiæ, ut quicumque magni hujus Viri Encomium inſtruendum fuerit aggreſſus, vereri debeat, ne magnitudine rerum dicendarum obruatur. Satis enim eſt dicere glorioſos titulos Sponſi Mariæ, & Patris Jeſu, quos poſſidet, & dignitatem Capitis familiæ ſanctiſſimæ, ac jus imperandi duabus perſonis, quibus nihil auguſtius in terris eſt, nec non fidelitatem in omnibus his adeo illuſtribus officiis obeundis totidem Sermones expoſcere.

Quamobrem Sacro Oratori Auctor eſſem, ut potiuſquam omnia hæc uno Sermone complecti adnitatur, in aliquo ex hiſce titulis immoretur, alios vero argumentorum locos adhibeat, quemadmodum quamplures notæ melioris Encomiaſtes fecerunt; & ſubinde morales animadverſiones afferat, quæ applicari poſſint ad omnia ſtatuum, conditionum, ac perſonarum genera, quibus inſignis hic Sanctus tamquam exemplar proponi poteſt.